

Ora insorge il dubbio a chi spetti l'ufficio di tener loro la Bugia in tale occasione, e se possa esser tenuta indifferentemente da un Sacerdote o da un Chierico, e se debbano questi tenendo la Bugia avere indosso il Pluviale, o la semplice Cotta; e non avendo potuto riscontrare cosa alcuna in proposito, ricorre all' oracolo dell' Eminenze ec. S. C. respondit: « Palmatoria in casu juxta generalem consuetudinem sustinenda est vel a ministris, vel a magistro Cæremoniarum, Missæ solemniter inservientibus. » Senen. 3 Aug. 1839.

(60. Archiep. Hydruntin. exposuit: An usus a Canonicis tum Cathedralium, tum omnium Collegiarum pluribus abhinc annis inductus deferendi sericos in galeris floccos, et caligas violaceas, quæ in Hydruntina Provincia habentur ut propria honoris, aut personatus insignia prohiberi debeat, vel tolerari, quum timeri possit ne prohibitio contemnatur? Et quatenus tolerari possit, an idem censendum sit de usu Annuli, aut in quibus circumstantiis? S. C. Hydruntin. die 11 April. 1840.

## S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. *Jubilationis indultum* denegavit Sac. Congregatio Joanni Theodoro præbendato in Ecclesia Cathedrali Ripana tum quia non constabat de quadragenario continuo, et laudabili præstito servitio, tum quia ejus præbendæ possessor ex lege fundationis est amovibilis ad nutum Capituli Patroni accedente justa causa, et Consensu Ordinandi in Ripana Jubilatio die 22 Januar. 1690.

(2. Licet quatuor anni deessent ad explendum quadragenarium servitium quibus ob non præstitum jusjurandum deportatus fuit absallis Joannes Baptista Ercoli Canonicus Collegiatæ Ecclesiæ Vallerani, attamen ob expletum continuo, et laudabiliter reliquum servitium chori *indultum jubilationis* ei concessit S. Congregatio salvo jure Episcopi illum revocandi in Casibus urgentis necessitatis ad servitium, cuius deficientiam præcæteris opposuerat Capitulum in Civitatis Castellane Jubilatio ad III.

(3. *Indultum absentiae* a residentia Præposito, et Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Grossetanæ mensibus Julii, Augusti, et Septembris, exceptis festis S. Laurentii, et Assumptionis B. M. V. ob aeris insalubritatem ad decennium concessit Sac. Congregatio juxta votum Episcopi ubi variæ præscribuntur conditiones in Grossetana servitii Chori 18 Martii 1690.

(4. *Indultum reductionis servitii chori* ab Episcopo Aquilano ex facultatibus sibi oretenus impertitis a Delegato Apostolico concessum anno 1813. Capitulum ut chori servitium præstaret diebus festis de præcepto, tempore Adventus, Quadragesimæ, atque Octavarum Nativitatis, Resurrectionis, et Sanctissimi Corporis Christi, attentis peculiaribus circumstantiis, confirmatum ad triennium a Sac. Congregatione die 23 Novembris 1816, ob easdem circumstantias ad illud triennium ad formam præcedentis prorogandum esse cen-

suit eadem Sac. Congregatio in Aquilana servitii Chori 15 Aprilis.

(5. Ac tandem denegavit *indultum absentiae* a choro addictis servitio particularium personarum, quavis etiam dignitate fulgentium, exceptis tamen Caudatarios S. R. E. Cardinalium, quibus *indultum* concedendum esse confirmavit juxta decretum ejusdem Sac. Congregationis die 19 Augusti anni 1690. Ibid. ad VIII Dub.

(6. S. C. Denegavit *indultum absentiae* a choro addictis servitio particularium personarum, quavis etiam dignitate fulgentium, exceptis tamen Caudatariis S. R. E. Cardinalium, quibus *indultum* concedendum esse confirmavit, juxta decretum ejusdem Sac. Congregationis die 19 Augusti anni 1690, in dubiis Indultorum. *Indultum absentiae* a residentia Præposito et Canonicis Cathedralis Ecclesiæ Grossetanæ mensibus Julii, Augusti, et Septembris, exceptis festis S. Laurentii, et Assumptionis B. M. V. ob aeris insalubritatem ad decennium concessit S. Congregatio juxta votum Episcopi ubi variæ præscribuntur conditiones in Grossetana Servitii Chori 18 Martii 1820.

(7. Canonicus Philippus Angelucci Theologus Cathedralis Ecclesiæ exercere cupiens munus Vicarii Generalis a S. C. petiit *indultum* vacandi a residentia, quod etsi negatum fuerit, tamen residentiam deseruit, et munus prædictum in Aesina Diocesi exercuit. Inde reiteratis precibus denuo repulsam passus est. Adiit S. C. Rituum et per eam preces exhibuit Clementi XIII. Pont. Max. exponens ipsum a dicta S. C. delegatum fuisse in judicem processus Causæ ven. servi Dei Fratris Angeli Antonii Sandreani, et postulata obtinuit. Sed urgente Capitulo S. C. eumdem ad residentiam ac interventum teneri decrevit Maceraten 14 Martii 1778. dub. 3. confirmat. 18. Julii ejusdem anni.

(8. Absolvitur prævia consultatione Sanctissimi Capitulum, et Canonici Collegiatæ Ecclesiæ S. Nicolai terræ S. Ægisti, qui in pluribus defecerunt, et pluries proprio arbitratu, vel falsa opinione decepti servitium chori post obtentam reductionem causa reddituum diminutionis deseruerunt: Nullius S. Ægisti 4 April. 1778.

(9. Canonicus Vincentius Calvo Ecclesiæ Cathedralis in minoribus initiatus, et causa sui Canonicatus Presbyteralis coactus ad Sacerdotium suscipiendum, pertinaciter contendebat, Episcopo refragante, non decem tantum dierum spiritualibus exercitiis vacaturum pro tribus ordinibus extra tempora suscipiendis, sed dierum triginta. Idecirco vel a vicinioribus ordinum collationem, vel a Metropolitano petivit. At S. C. ut supplicet Episcopo et ad mentem respondit « mens fuit ut scriberetur Episcopo ut Canonicum supplicem reciperet, eumque moneret ut se contineret in officio utque debitum Episcopo præstaret obsequium, necnon respicientis animi daret argumenta, et in posterum caveret ab iis quæ in eo juste displicerunt Episcopo, quæque Episcopus jure reprehenderat, atque damnaverat: quibus omnibus

a Canonico adimpletis Episcopus, quatenus idem Canonicus interim sacris Ordinibus non indignum se redderet, eos præviis exercitiis spiritualibus eidem conferret. » Tirasonem. Ordinum 8. Augusti 1778. dub. 1.

(10. Insuper Decretum Episcopi die 8. Junii 1775, quo Vincentio Calvo prædicto Ecclesiæ Cathedralis Canonico ascensum ad sacros Ordines interdixerat, validum esse, S. C. decidit, licet ratione Canonicatus coactus sit ad Sacros Ordines suscipiendos. Ead. 25. Januarii 1782. dub. 1. Deinde esse locum ordinationi arbitrio et Episcopi conscientiae dixit. Ibid. dub. 2.

(11. Quæstio de electione Decani in Ecclesia Metropolitana Urbini inter Canonicum Franciscum Mariam Rosa ex eadem Urbe, annorum 72. in Capitulo cooptatum anno 1738. et inter Canonicum Jo. Carolum Valbonetti ex Sarsinensi Diocesi annorum 58. oriundum Canonicum renunciatum anno 1753. orta est. Hanc S. C. dirimit in favore Canonici Rosa, quum Capituli Constitutiones esse ex civitate oriundum et in possessione antiquiorem præferant; etiamsi Canonicus alter antiquitatem esse intelligendam de Canonico de Massa, non de Præbenda, quum ipse de Massa Anno 1753. alter anno 1755. obtinuerit, contenderit; Urbinatem Decanatus 21. Novem. 1778. confirmat. 6. Martii 1779.

(12. Canonicus Nicolaus de Rubalo Basilicæ Lateranensis absens ab Urbe fuit absque *indulto* Pontificio contra leges residentiae quum Coadjutorem in Canonicatu haberet, qui chori, et Ecclesiæ servitio quam diligenter incumbat; et quamvis consensus Capituli adesset, pacto tamen adjecto, quod beneficii vacandi in hebdomada ad eum spectante collatio devoluta intelligeretur ad Capitulum, adstrictus fuit ad solutionem punctaturarum pro rata tangente ad Beneficiatos et Clericos Beneficiatos, absolutus autem fuit quoad Canonicos ad formam Consensus a Capitulo præstiti: Romana. Fructuum 29. April. 1780.

(13. Canonici novæ erectionis Collegiatæ Ecclesiæ S. Stephani terræ Cotinoliæ ex fundatione Antonii Zarabini, qui eis præcepit missam quotidianam conventualem per vices celebrandam pro ejus anima, tenentur una cum Capitulo ad missam conventualem applicandam pro benefactoribus in genere et additur ad mentem Faventina Missæ Conventualis 5. Junii 1780. Dub. 1.

(14. Canonicus Calixtus Tanfius Ecclesiæ Collegiatæ obtento *indulto* vacandi a Choro per biennium causa studiorum, amissis distributionibus quotidianis, fuit ad aliud biennium prorogatum ad formam præcedentis. Degebat enim adhuc in Seminario S. Salvatoris Majoris causa studiorum: Nullius Farsen. Punctat. 3. Augusti 1780. Dub. 2.

(15. Sacerdos Joseph Cajetanus Sciuscioli Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Præbendam Theologalem quam in ea possidebat, resignavit Sacerdoti Ludovico Janni sub reservatione Apostolicæ dispensationis. Resignationem admisit Episcopus, dummodo sese examinatorum judicio submitteret.

Examinatores illum reprobaverunt. Hos irrationabiles accusat modo Jannius, quinque adducens testes qui bene, diserte, et egregie illum respondisse fatentur, et se laureatum jam esse ostendit. Verum causam S. C. minime definiens ad Episcopum juxta mentem scribendum duxit. Sutrina Præbendæ Theologalis. 5. Augusti 1780.

(16. Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Encyclicæ Benedicti XIV. Pont. Max. « Post. Decretalem cap. 9. cum creatura tit. de celeb. Miss. in qua missarum solemnium conventualiter celebratio præcipitur, hodie attenditur Const. Bened. XIV. Cum semper 19. Aug. 1744. (Bull. ejusd. Pont. tom. 1. pag. 163.) quæ § II. Missam Conventualem canendam singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus et Collegiatis applicandam esse pro benefactoribus in genere definit » ignorantes quotidie Missam conventualem absque tamen applicatione pro benefactoribus in genere celebrasse exponunt. Animadvertunt insuper onus ejusdem Missæ applicationis modicos eorum redditus ferre non posse; proinde exorant absolutionem quoad præteritum, et dispensationem ab hoc onere quoad futurum exceptis diebus festis. De præcepto S. C. quoad præteritum ad D. Secretarium facto verbo cum SSmo remisit, quoad futurum audire eos renuit. Aesina Missæ Conventualis 5. Aug. 1780.

(17. Quilibet ex Canonicis Hebdomadariis tenetur celebrare Missam conventualem absque ulla eleemosyna comprehenso per vices Archidiacono, non autem ea præstanda sit ex massa communi.—Fanen. 26. April. 1780. Deinde recedendum a decisio censuit S. C. deditque negativum ad primam partem, affirmativum ad secundam. Responsum 15. Julii ejusd. anni confirmat. 20. Januarii 1781. Dub. 2.

(18. Canonico Ecclesiæ Collensis de jurepatronatus Familiæ Usimbardi indulget reductionem missarum ad duas missas tantum pro qualibet hebdomada, quum esset onus quotidianum; nam antea reductum fuit inspecta proventuum imminutione onus servitii; non autem haberi illa præbenda tanquam simplex beneficium debet. Collen. 10. Febr. 1781.

(19. Canonici Ecclesiarum Collegiarum S. Crucis Hunfeld, et SS. Joannis Baptistæ et Cæcilie Rasdorff. in minoribus constituti, et participantes tantum de *massa grossa*, non autem de emolumentis quæ in præmium residentiae lucrantur, ad quam non sunt adstricti, tenentur Officium Divinum privatim quotidie recitare etsi consuetudinem invaluisse illud non recitandi ob reddituum tenuitatem Episcopus exponeret: Fulden. Visitationis Sac. Liminum die 3. Aug. 1782.

(20. Ideoque exercere idem Canonicus officium Camerarii per substitutum nequit. Ibid. dub. 2.

(21. Canonicus solæ Collegiatæ Ecclesiæ Divæ Mariæ Magdalene oppidi Ereti in Sabinis, quod vulgo dicitur Monte Rotondo in sacris non constitutus, et super residentia causa studiorum dispensatus, eligi non

potuit in Camerarium : Sabinen. 31. Maii 1783. dub. 1.

(22. Canonico Camerario, seu Depositario pro tempore absque deliberatione seu resolutione Capituli prohibetur expensas quas-cumque præter Summam juliorum quinque erogare etiam sub prætextu causæ extraordinariæ, aut quomolibet necessariæ. Firmana 8. Junii 1782. dub. 6. confirmat. 6. Sept. 1783. dub. 2.

(23. Adductum quum esset an et omnes, singulique Canonici Collegiæ Ecclesiæ S. Michaelis teneantur contribuere pro expensis Utensilium Parochialium, seu ad dictas expensas teneantur solummodo Prior, et sub-Prior animarum curam habentes? respondetur affirmative; ita tamen ut unusquisque contribuat pro rata parte suæ congruæ: Firmana, 6 Sept. 1783. dub. 3.

(24. Et ad alterum dubium an, et qui onus habent expensarum pro executione Rescripti S. C. editi die 17. Aug. anni 1779. quoad remotionem et expurgationem Sepulchrorum? affirmativum datum est responsum, ut ad proximum. Ibid. dub. 4.

(25. Ad interrogationem, an Canonici Theologus Ecclesiæ Cathedralis loco explanationis Sacræ Scripturæ possit explicare Catechismum, et docere lectiones Theologiæ moralis prout approbante Capitulo assueverat? S. C. scribendum Episcopo juxta mentem. « Et mens est ut omnino servetur, cap. 7, sess. 24 Concilii Trid. per eos qui curam animarum gerunt, quo vero ad Canonicum Theologum, suas lectiones peragere debere juxta tradita a Benedicto XIV. de Synodo Diocæ. lib. 13, cap. 9, § 17. » censuit: Fulginaten. 3 Julii 1784.

(26. Sacerdos Dominicus Amurri Canonici Ecclesiæ Collegiæ S. Mariæ oppidi Offidæ ob ingravescentem ejus ætatem constituit sibi Coadjutorem Vincentium Antreanum ex Sorore Nepotem in minoribus ordinibus constitutum. Ipse sicut erat ex oppido Carrassai petiit ab Episcopo Firmano literas testimoniales, quas Episcopus Aseulanus requisiverat. Renuit ille Episcopus has concedere, et ideo S. C. adiit, quæ, ut scribatur Episcopo juxta mentem: « Mens est ut dicat, aut graves recusationis causas, aut det testimoniales » voluit. Aseulana Coadjutoria, 12 Martii 1785.

(27. Belisarius Amadei Canonici in Ecclesia S. Eustachii Urbis annui redditus scut. 120, instituit, inquiens: e soltanto possa solo obbligarsi ad intervenire nelle solennità del SSmo Natale, di Pasqua, e di S. Eustachio. Modo nonnullæ controversiæ inter Capitulum et Canonici Fornice dicti Canonici possessorem exortæ sunt. Ad has dirimendas S. C. decernit Canonici Amadei teneri interesse choro etiam in solennitatibus Epiphaniæ et Pentecostes præter solennitates S. Natalis, Paschatis, Resurrectionis et S. Eustachii. Romana, 9 Julii 1785, dub. 1.

(28. Canonici Ecclesiæ Collegiæ Clebæ, quorum præbendæ tenues erant, et tenuiores postea ex Regio Censu cum Pontificio In-

dulto per quindennium super illis imposito factæ sunt, Missæ conventualis reductionem ad solos dies festos de præcepto postularunt, et juxta votum Episcopi quoad applicationem tantum. « Censuerat Episcopus ut per idem quindennium concederetur licentia limitandi applicationem Missæ Conventualis ad dies Festos tantum: Ead. caus., 17 Junii 1786, § 2. » obtinuerunt: Alben. Reductionis Missæ Conventualis, 17 Junii 1786.

(29. Constantinus Salvi possidens in Ecclesia Collegiata S. Joannis Baptistæ terræ Campaneani Canoniciatum nominatus est a patronis, quum esset de vocata familia, ad beneficium in eadem Ecclesia fundatum, qui onus Canoniciatum uniforme, celebrationis nempe Missarum trium hebdomadalium, et chori servitii diebus festis mobilibus habet, qua de causa Capitulum non assentitur. Ille vero dispensationem efflagitat, et S. C. indulget arbitrio Episcopi dummodo chori servitium detrimentum non patiat. Nepesina die 8. Julii 1786.

(30. Haud concedendam censuit S. C. Dispensationem ab incompatibilitate Canonico Antonio Assortati, qui facultatem possidebat Canoniciatum Ecclesiæ Collegiæ S. Blasii terræ Miloni simul cum Rectoratu Immaculatæ Conceptionis ipsius terræ exoptabat: Nam fundator Rectoratus posse retinere cum nullis de Capellaniis, ex quibus in Canoniciatibus erectis inde Ecclesia prædicta in Collegiatam coaluit, prohibuerat: Maceraten. Dispensat. die 19. Maii 1787. confirmat. die 13. Julii 1783. dub. 1.

(31. Canonici Honorarii titulum petens in Collegiata Ecclesia S. Mariæ Sulmonis, vulgo Sermoneta; in qua nullum exemplum extat, Clericus Joseph Quadrassi cum facultate interveniendi choro, supplicationibus, aliisque functionibus in habitu Canonicali, novissimum locum post Coadjutores occupans, nullisque distributionibus fruens a S. C. auditus non fuit; licet ei faveret Episcopus ac Capitulum assentiretur: Terracinen. seu Selina 16. Febr. 1788.

(32. Quum Canonici fundati ab Episcopo Reghino in Ecclesia Cathedrali cum onere binarum hebdomadalium Missarum et servitii chori « ac facultate reservatæ Episcopo mutandi qualitates, et obligationes dicti Patronatus etiam contraria statuendo ad ejus libitum, sicuti melius placuerit: » imminuti sint valde redditus ob amissionem censuum, hodiernus Canonici Franciscus Petrucci reductionem postulat hebdomadalium et conventualium Missarum, servitii-que chori ad dies festos, et S. C. annuit juxta votum Episcopi. « Qui indulgentiam censet reductionem quoad hebdomadales Missas, nullatenus quoad Conventuales pro benefactoribus, neque quoad chori quotidianum servitium utpote Canonici hæc detrectantes propter damnum eisdem exinde dimanans, qui bene vero lubenter quoad diminutionem tantummodo Missarum ad Oratoris præbendam spectantium, assensum præbuerunt, quibus adhæserunt interesse habentes. »

Ead. Caus., 26 April. 1788, § 3. Sarsinaten., 16 Maii 1789.

(33. Redditi mensæ capitularis Ecclesiæ Cathedralis non prohibentur sibi Canonici applicare, et dividere ad formam decreti S. C. die 29. Januarii 1633. « Occasione Visitationis sacrorum liminum rescripsit S. C. anno 1633. ad Episcopum Cæsium superextantes mensæ Capitularis redditus erogandos esse in necessitatibus Ecclesiæ et Ecclesiarum eidem annexarum, earumque fabricæ, nec non in manutentione prædicatorum. » Lib. 24. Decret. pag. 699. Ariminen. Reparationis Ecclesiæ Cathedralis 19 Septembris 1789. Dub. 2.

(34. Atque tenentur dicti Canonici ab anno 1786. exclusive ad restitutionem, et quoad præteritum ad D. Secretarium cum SSmo Ibid. Dub. 3.

(35. Gravia Canonici Collegiæ Ecclesiæ Portus S. Mauriti sunt onera, redditus tenues. Ad annuas Missas cum cantu 611. aliasque lectas 306. pro benefactoribus in specie præter quotidianum chori servitium tenentur. Sexages ipsi SSmum Sacramentum infra annum exponunt, psalmum *miserere* qualibet feria sexta recitant. Litanias cum Psalmo *de profundis* singulis Sabbatis, et Dominicis, terque in hebdomada tertiam SSmi Rosarii partem; qua de causa Missam conventualem negligunt; itaque rogitant modo pro reductione S. C. quæ protelans resolutionem, ut scribatur Episcopo juxta instructionem, nempe ut referat de remediis a Concil. Trid. propositis Ead. Caus. 9 August. 1788. Dub. 2. mandavit: Albinganen. Missæ Conventuales 9. Augusti 1788. Dub. 2. Deinde reductionem juxta Episcopi votum « Ait ille remedia Concil. Trid. haud posse adhiberi hinc: si vero in hisce rerum circumstantiis Oratores a Missa Conventuali quoad futurum aequaliter levandos esse EE. VV. arbitrarentur, putarem tamen relicto onere pro diebus festis ferialibus vero in lectam commutandam, hæc tamen adjecta conditione, quod si augeantur redditus, iterum ipsis incumbat onus celebrandæ dictæ Missæ conventualis: Ead. Caus. 23 Januarii 1790. § 3. » concessit 27. Februarii 1790.

(36. Ac sub nomine solemnitatum SSmi Natalis non comprehenduntur tres dies consequentes, sed sub nomine solemnitatis Paschatis, comprehenduntur dies duo, qui primum sequuntur, nec non intervenit incipere debere a primis Vesperis solemnitas in testamento præscriptarum et in Sabbato Sancto Ibid. Dub. 2. Denuo S. C. requisita, suam sententiam aperuit, sub primis Vesperis Paschatis comprehendere debere Missam solemnem Sabbati Sancti, et non omnes etiam ejusdem diei functiones 27 Febr. 1790.

(37. Inde postulatum fuit, an et quomodo, et in cujus favorem multandus sit Canonici Amadei si non intervenerit stas a testatore diebus et quatenus in favorem Canonici presentium, an vicissim etiam in ejus favorem cedere debeant fallentia

aliorum Canonici iis diebus, quibus Canonici Amadei interesse debet? respondit S. C. « quod facta assignatione tertie partis juxta votum. Ita sentit Card. Diaconus, detrahenda prius esse ab integro reddito Canonici scut. 60. pro onere Missæ perpetuæ, et tertiam partem reliquorum scut. 60. pro quotidianis distributionibus esse assignandam, quæ in eos dies distribui debeat, quibus Canonici Amadei interesse debet, et in hoc utramque partem convenire refert. Ead. Caus. 9 Julii 1785, § 7. » Card. Diaconi fallentias esse erogandas juxta Decretum sess. 22, cap. 3. arbitrio ejusdem Card. Diaconi Ibid. Dub. 3.

(38. Ac Canonici Amadei posse choro interesse juxta votum Card. Diaconi « ait non posse Canonici Amadei choro et altari deservire pro alio, sinchè egli non si faccia ascrivere in una delle mentovate due settimane dell' ordinato alternativo servizio della Chiesa » Ead. Caus. 9 Julii 1785, § 10. aliis diebus præter eos qui a testatore præcipiuntur, et altari inservire pro alio Canonico, Ibid. Dub. 4.

(39. Deinde disputatum; an supplicatio *si nulli sit relaxanda?* et pariter negativum dedit S. C. responsum: die 18 Julii ejusd. anni dub. 2, et postmodum recessit a decisio ac institutionem dandam esse Agnelli censuit. 19 Decemb. ejusd. anni confirmat. 27 Febr. 1790.

(40. Electio Sacerdotis Honorati Vaccari in Canonici Ecclesiæ Collegiæ S. Petri Massæ Fiscalis legitime expleta declaratur a novis Officialibus Societatis Consortii Massæ prædictæ licet Canoniciatus sub Officialibus decessoribus, qui post lapsum tempus Officii, in eo de licentia Vicarii Episcopi continuabant, et ad alliciendos Candidatos affligi curaverant edicta, vacasset: Cervien. 17 Aprilis 1790.

(41. Ut Canonici Collegiæ Ecclesiæ S. Palmatii oppidi Quarguinto ab assiduo chori servitio, ac residentia, quam hactenus præstiterunt, quodammodo levantur, bimestrem efflagitant vacationem saltem ad exemplum Alexandrinæ Cathedralis. S. C. indultum vacationum pro duobus anni mensibus, excepto tempore Quadragesimæ, Adventus, et solemniorum anni festivitatum concessit: Alexandrina Servitii Chori 17. April. 1790.

(42. Episcopus Narniensis occasione Visitationis comperit, Canonici Cathedralis pecuniam mensæ Capitularis occupare consuevisse absque ulla Decessorum suorum, et sua venia. Rogavit hinc ut eliminaretur hujusmodi abusus. S. C. decrevit, ut ea investimenta per eosdem fieri possent; et quoad futurum faciendâ, in casibus particularibus Episcopus uteretur jure suo; et imperavit insuper, ut investimenta præterita sustinerentur: Narnien. 15. Maii 1790. dub. 1. et 2.

(43. Canonici collegiæ Ecclesiæ Oppidi *di Blandrate* singulis hebdomadis tres canunt Missas, terque Officium Divinum re-

citant, exceptis mensibus Julii, Augusti, et Septembris, in quibus officium diebus tantum agunt festis. Hi exorant S. C. pro indulto a Choro vacandi tribus illis nocuis mensibus, sub obligatione adimplendi onera reliquo anni tempore. S. C. assensa est eis juxta Card. Episcopi votum: Urcellen. servitii Chori die 19. Junii 1790.

(44. Etsi S. C. ratam habuerit electionem in favorem Sacerdotis Honorati Vaccari ad Canonicatum Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Massæ Fiscalæ gestam, novis officialibus societatis consortii dictæ Massæ, quum vacasset Canonicatus sub decessoribus Officialibus, tamen ad omne removendum nullitatis dubium, consulendum SS. pro Sanatione electionis S. C. mandat: Cervien. die 27 Novemb. 1790.

(45. Interrogata est S. C. an, quomodo, et quibus diebus Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Ariciæ Officium Divinum in choro recitare teneantur? Responsum prodit affirmativum in omnibus juxta votum Card. Episcopi, etiamsi centenaria ostenderetur observantia. Albanen. 16. Maii 1789. confirmat. die 26. Martii 1791.

(46. In collegiata Ecclesia oppidi S. Victoris Canonicatum fundavit Nicolaus Augustinus Porfidi. Voluit hic ut nominaretur primum Franciscus Discreti, et inde *un figlio del Signor Nicola Marinelli*. Post eorum obitum, *e non essendo più Prebendati li detti Signori Discreti, e Marinelli*, jus nominandi Capitulo sub lege uniendi fructus Massæ Capitulari reliquit. Modo alter filius Marinelli Aloysius tanquam passive vocatus præterit nominationem post obitum fratris Francisci. Sed S. C. institutionem ei dandam non esse statuit. Firmana Præbendæ 26. Martii 1791. dub. 1.

(47. Canonicus Aldebrantus Leoni de genere patronorum modo possidet Canonicatum, qui ante erectionem Collegiatæ, olim Parochialis tantum, S. Leonardi oppidi Massatii ex Capellania Flamini Leoni instituta coaluit. At possessor prædictus, pro tenui reditu scut. 8. vel 9. quæ ex originaria percipi possent sorte scut. 200. S. C. supplicavit ut servitium ad dies festos reducatur. Capitulum restitit et S. C. reductionem petitam denegavit. Æsina Reductionis Servitii chori die 27. Aug. 1791.

(48. Sacerdos Angelus Azzolani Canonicatum juris patronatus laicalis annui redditus scut. 19. cum onere missarum 105. servitii choralis diebus festis, subdiaconalis ac diaconalis officii ac novissimæ missæ alternis possidet. A tenuitate redditus, suæque paupertate impulsus reductionem petit missarum, et S. C. onus subdiaconalis, et diaconalis ministerii nec non celebrandi missam ultimam per vices reduxit. Montis Falisci Reductionis missarum die 17. Decem. 1791.

(49. Quatuor Canonicatum foundationis Sacerdotis Michaelis Angeli Bronetti Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ Apostoli Saviliani possessores exorant reductionem missarum. Nam antea redditus ad scut. 100. ascendebat, modo in scut. annue 10. absque eorum

culpa decrevit. Præter missas gravantur hi onere servitii chori ac administrationis Sacramenti penitentiarum diebus festis; ideo S. C. annuit pro reductione onerum arbitrio Card. Archiepiscopi. Taurinen. Reductionis die 17. Decembris 1791.

(50. Canonici Ecclesiæ Cathedralis permittitur, ut absentes a residentia ex causa etiam infirmitatis percipere valeant distributiones quotidianas quas ex Ecclesiæ statuto et sex centenaria consuetudine amittebant: Illerden. absentia et Distributionum 3. Martii 1792. dub. 2.

(51. Præminentia stali, turni, et ætatis prærogativæ denegantur Josepho Albertini Cathedralis Ecclesiæ Canonico, qui ad quintam Canonicaled sedem vicennio erectus, pinguiores quidem redditus, sed novissimum Canonicatum in ea obtinuit. Callien. Præminentia 18. Aug. 1792.

(52. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ in Burgo Civitellæ inservire tenentur in munere Diaconi et Subdiaconi Archiepiscopo Dignitati diebus solemnioribus celebranti ad formam Constitutionum Abbatibus olim Commendatarii de Rubeis, cui suberat Civitella; licet post confectas eas constitutiones Mansionarii instituti fuerint: Bricinorien. 20. Apr. 1793. dub. 4.

(53. Ad Canonicatum designatum in communi testamento Sanctæ Verri ejusque filiorum Canonici Angeli et Franciscæ Antonie Piermartini eligendum in Collegiata Ecclesia S. Mariæ de Misericordia oppidi Belviderii, institutionem dandam esse Clerico Francisco Mariæ Bevilacqua prælativo vocato, licet in ætate annorum 14. deciditur. Impugnabat enim hanc nominationem Sacerdos Carottus: in secunda sede vocationis repositus: Senogallien. Canonicatus 11. Maii 1793. dub. 2.

(54. Canonico Theologo Volaterranæ Cathedralis conceditur jus optandi præbendas juxta declarationem in Sebenicen: Juris optandi die 8. Maii 1688. Volaterrana Juris optandi 20 Julii 1793.

(55. Canonici Ecclesiæ Collegiatæ Pergulæ in sacris non constituti non valent habere vocem in electione Archidiaconi licet in litteris erectionis expressum sit quoad electionem a pro tempore existentibus Capitulo et Canonici: Eugubina Electionis 7. Sept. 1793. dub. 2.

(56. Canonicatum instituit Lancislaus Lignani in Cathedrali Ecclesia cum onere chori et missarum. Ugolinus Gualterotti hodiernus Canonicus passus est in judicio liberationis a molestiis executionem super meliori fundo Canonici præbendæ pro summa scut. 140. vigore obligationis fundatoris. Hinc ad eam removendam implorat facultatem vendendi domunculam terræ motu læsam cum adnexo hortulo, et duo prædiola unita Canonicatui; et S. C. annuit juxta votum Episcopi, nempe cum obligatione annui depositi scut. 12. in reintegrationem fundi Canonici; Civitatis Castellii 17. Aug. 1793. dub. 1.

(57. Missam Conventualem celebrandam

esse decernitur per Canonicos Collegiatæ Ecclesiæ Trejæ ad formam rescripti anni 1713. quo eam S. C. propter tenuitatem reddituum ad dies reduxit festos, et ad nostram usque ætatem usi sunt gratia. Quum nuper eos obligaverit Archiepiscopus ad quotidianam ejusdem Missæ celebrationem juxta Encyclicam: *Cum semper oblatas* Bened. XIV. editam 19. Aug. 1744. (Bullar. ejusd. Pont. tom. 1, pag. 163.) in qua § 11. disponitur. «Neminem vestrum latere putamus Sacerdotum Canonum Sanctiones, quibus præcipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis Horæ Canonice debitis modo, et forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur.» Camerinen. Missæ Conventualis 14 Decem. 1793.

(58. Si statutum aut consuetudo Ecclesiæ requirit servitium totius anni, tunc locum habet absentia trium mensium a Concilio permissa. Ill. Ab. et Distr. 3 Mar. 1792, § 5.

(59. Est enim dura residentia totius anni. Ibid.

(60. Et indulgeri aliquid solet ad recreationem animi, et corporis: Ibid.

(61. Ultra tres menses a Concilio Tridentino prohibita et trimestres tantum implicite concessæ sunt: Or. 14 Jan. 1792. § 9.

(62. Ideoque plurimorum mensium cumulus ejusdem Concilii adversatur menti. Ibid.

(63. Diuturnioribus namque vacationibus desidiosi evadunt Ecclesiæ ministri: Ibid.

(64. In hac vacationum materia præservavit Concilium Ecclesiarum Constitutiones, vel consuetudines, quæ longius servitii tempus requirunt: Ibid. § 7.

(65. Hinc Capitulares qui vacationibus ex peculiari sua constitutione concessis, contenti hactenus fuerunt, conciliari beneficio tacite renuntiassent videntur: Ibid.

(66. Sed augeri possunt ad conciliares ob consuetudinem finitimarum Cathedralium: Ibid.

(67. Canonici Collegiatæ Ecclesiæ Mercatelli, post annos 70. renuerunt eorum præsentiam præstare anniversario ordinato a Laurentio Berardo in Ecclesia S. Francisci dicti oppidi ratione tenuitatis emolumenti, et re in S. C. delata, hæc decidit, dictos Canonicos assistere teneri ad prædictum anniversarium ad taxam constitutam ab Episcopo Castellii anni 1715, hæc enim antiqua, et tenuis erat: Urbanien. Anniversarii 24. Jan. 1795. Dub. 1.

(68. Dubio proposito, an, et quomodo Capitulares Ecclesiæ Collegiatæ divi Petri absentes substituere possint in choralis servitium, et sibi invicem permutare conciliares vacationes juxta eorum antiquam consuetudinem, et ad quæ loca pro hujusmodi effectu extendantur suburbia Civitatis? S. C. respondit affirmative juxta votum Episcopi «Qui putat consuetudinem hujusmodi esse tolerandam, dammodo substituti eidem servitio non sint adstricti; restituant substituentes infra annum præstita servitia: frequenter non fiant substitutiones et non absint substituentes a territorio,» et ad formam Jatreu. anni 1626.

Vide Verh. Canonici. § 11. num. 8. Spoletana Servitii Chori 28. Feb. 1795. Lub. 1.

(69. Canonico Ecclesiæ Cathedralis Paulo Leggi denegantur, demptis duobus mensibus vacationum, distributiones pro tempore ejus absentia quam fecit, ut ait, causa infirmitatis de qua testimonia non jurata exhibuit, sed contrarium alii testantur. Anagnina Distributionum 14. Martii 1795. Dub. 2.

(70. In Ecclesia Collegiata S. Michaelis Archangeli Caprarolæ præter Archiepiscopum, et novem Canonicos qui communem massam constituunt, alii novem accesserunt Canonici, qui vocantur extra Capitulares. Quum autem hi juxta constitutiones antiquas, nec non juxta veteratam consuetudinem Capituli punctaturis immunes essent, Episcopus hodiernus proposita re in Capitulo de punctaturis Capitulariter fuit conventum. Extra Capitulares, sicut massa communi destituti, non paruerunt, et inde recursum in S. C. habuerunt; et S. C. decidit Canonicos extra Capitulares Collegiatæ prædictæ teneri ad servitium chori ita ut absentes absque legitima causa subijci deberent punctaturis: Civitatis Castellanae Punctaturarum 16. Maii 1795. Dub. 1.

(71. Et est locus deposito pro fundo punctaturarum; nam Canonici prædicti impugnabant tertiæ partis fructum remissionem pro distributionibus. Ibid. Dub. 2.

(72. Canonici Præbendarii Ecclesiæ Cathedralis quotidiano servitio sunt adstricti, nec non plurimis Missis gravati, perspecta eorum præbendarum tenuitate poscunt Missarum reductionem ex fundatione; et accipiunt responsum a S. Congreg. quod Præbendas Canonicales, quarum annuus redditus deductis oneribus, excedit scut. 20. negative; in reliquis affirmative juxta modum «Nempe reductionem ita faciendam esse ut pro quolibet Canonico libera remaneant scut. 20.» Comaclen. Reductionis Missarum 13. Junii 1795.

(73. Chorale servitium, quod Canonici Ecclesiæ Collegiatæ S. Jo. Baptistæ oppidi Canthiani ex decreto S. C. anni 1755. præstabant per duas hebdomadas, tertia alternis vicibus vacante, ob tenuitatem præbendarum, auctumque Canonicorum numerum, reducitur a S. C. ad alternum chori servitium. Eugubina servitii Chori 13. Junii 1795. Dub. 1.

(74. Et conceditur simplicibus diebus festis exemptio a choralis recitatione Matutini, et Primæ Canonici destinatis celebrationi Missarum in Ecclesiis ruralibus ob defectum aliorum Sacerdotum. Ibid. dub. 2.

(75. Præscribitur tamen commune servitium chori in Octavis Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, et SS. Corporis Christi tantum. Ibid. dub. 3.

(76. Quum adeo tenues sint redditus Canonicorum Collegiatæ Ecclesiæ S. Mariæ de Nazaret oppidi Sigestri ut si ii excipiantur, qui curam habent animarum, nulli summam attingunt scut. 30. voluit S. C. locum esse reductioni Missæ conventualis ad dies festos de præcepto quoad applicationem tantum: